



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 111. Joannis Philippi de Lamberg Cardinalis mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](#)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1712.

## §. CXI.

*Joannis Philippi de Lamberg Car-*  
*dinalis mors.*

Postremus inter Cardinales hoc anno *Epiſt. Clem.*  
denatos erat Joannes Philippus Co- *XI.*  
mes de Lamberg natione Germanus.  
Hic inter natalium splendorem, & Pa-  
rentum curas ingenue educatus, Sa-  
lisburgi literis humanioribus vacavit,  
ac Viennæ Philosophiæ egregiam na-  
vavit operam, utriusque Jurispruden-  
tiæ laurea insignitus. Ut vero Majo-  
rum suorum exemplo adolescentiam  
suam in Catholicæ fidei defensionem  
consecraret, aliquamdiu in variis ex-  
peditionibus contra Turcas susceptis  
militiæ tyrocinium auspicatus est; com-  
probata autem ejus fortitudine & Sa-  
pientia inter Cæsareos cubiculi Admi-  
nistros, & Aulici Senatus Consiliarios  
cooptatus, non modo in Neoburgica  
Aula Imperatoris negotia solerter ac  
feliciter procurabat, sed & a Leopoldo I.  
Cæfare ad Brandenburgicum & Saxoniam  
Electores Legatus mittebatur, ut Vien-  
næ a Turcis obfessæ suppétias impetra-  
ret: Tam prosper hujus Legationis erat  
successus, ut Lambergius contra Tur-  
cas cum Brandenburgico Electore, &  
cum Galliarum Rege contra grassantes

Gg 3 tur-

Sæc. XVIII. turbas proficuum firmaret fœdus, d.  
A.C. 1712. a Saxoniæ Electore validas obtinere  
copias, quibus Austriæ Metropolis in  
libertatem vindicata erat. Altera de-  
mum Legatione ad Ratisbonensia Imperii comitia Cæsareus Legatus deco-  
nebatur, ubi tamen deposito Balduino  
sacræ militiæ nomen dedit, atque Se-  
lisburgensi, Passaviensi, & Olomucieni  
Canonicatu auctus, ad Passavie Ecclesiæ regimen Episcopus eligebatur.  
Nec diu tamen sacræ quieti indulgen-  
datum est Lambergio; rursus enim tan-  
quam Cæsaris Legatus ad Sarmatiam  
abire compulsus, omnem movit lap-  
idem, ut Fridericus Augustus Saxone  
Elector in Poloniæ Regem feligeretur.  
Interfuit etiam Cracoviæ ejusdem cor-  
onationi, qua peracta a Leopoldo Ce-  
fare ad Ratisbonensia Imperii comiti-  
ablegatus, Plenipotentiarii munus  
fungebatur, ubi assertis Cæsaris jun-  
bus Imperii pacem firmavit, vici illi  
vero ad ejusdem Imperatoris precium  
ab Innocentio XII. Cardinalium Colle-  
gio adscriptus, ad Sacra comitia, in  
quibus Clemens XI. supremam Ecclesiæ  
dignitatem consecutus est, Romanum  
venit, inde vero iter relegens, praecep-  
tuas Italiæ Aulas frequentabat, unicuique  
intentus, ut cunctos Principes in Cæ-  
saris fide & obsequio firmaret, eosque

in Gallos, qui Cæsari bellum denun-  
tiabant, excitaret. Ratisbonam rever-  
sus, ferventibus belli tumultibus, &  
Passavio a Bavaris occupato plurimas  
adversitates generoso sustinuit animo,  
tandem in Germaniæ Protectorem no-  
minatus, postquam per duodecim an-  
nos summa cum laude Plenipotentiarii  
munus obierat, violenta stomachi op-  
pressione correptus, die vigesima Octo-  
bris anno ætatis sexagesimo primo Ra-  
tisbonæ mortalitatem exuit, non sine  
maximo Aulæ Cæsareæ luctu; erat e-  
nī Minister fide, prudentia, integri-  
tate, atque in publicis negotiis feliciter  
expediendis dexteritate præstantissimus,  
moribus comis, affabilis & moderatus:  
nec minus fideliter explevit cunctas vi-  
gilantissimi Pastoris partes; ipsus enim  
diæcesin suam lustravit, Templa restau-  
ravit, ditavitque sacra supellectile,  
populum denique suum & Clerum san-  
ctissimis editis legibus pavit, potentius-  
que docuit exemplo quam verbo: Di-  
gnissimi huius Cardinalis laudes ipse-  
met Pontifex in suis literis ad Capitu-  
lum Passaviense die decima septima De-  
cembris datis complectebatur his ver-  
bis: *Tot, tantisque præditus erat virtuti-  
bus, ut illius obitu ingentem factam esse  
jacluram existimemus. Idcirco ex tristi-  
nuntio gravem percepimus mæroris sensum,*

Gg 4

&amp;

Sæc. XVIII. & doluimus, quemadmodum par erat, non  
 A. C. 1712. tam Ecclesiam istam vigili orbatam Antifit,  
 quam Sacrum Cardinalium Collegium hanc  
 levi præsidio atque ornamento destitutum.

## §. CXII,

*Variæ Clementis Papæ Constitu-  
tiones & Epistolæ ad diversos.*

*Bull. magn.* Cum gravissimæ identidem causa,  
*Const. Clem.* dubia, & lites ad Apostolicum tri-  
*XI. Epist.* bunal deferrentur, Pontifex pastoralis  
*eiusdem* sui officii partes sedulo interponens va-  
*pag. 1628.* rias edidit Constitutiones & decreta,  
 ac primo quidem die undecima Maii  
 Carthusianis sub anathematis poena in-  
 hibuit, ne cuicunque personæ etiam  
 Cardinali in Monasteriis suis vesci car-  
 nibus permittant: Nuntiatum erat  
 Pontifici, quod Calvinistæ in oppido  
 Porceti prope Aquisgranum necnon in  
 Ducatu Limburgensi necquicquam re-  
 clamante Abbatissa loci Domina, sectæ  
 suæ exercitum invehere molirentur,  
 hinc Carolum Cæsarem die vigesima  
 Februarii & Joannem Guilielmum Pa-  
 latinum Electorem die octava Aprilis  
 anni sequentis rogabat, quatenus eo-  
 rum conatibus eo promptius obsi-  
 rent, quo laudabilius Josephus Impera-  
 tor idem eis jam inhibuisset, imo &  
 Templum ab illis exstructum solo æquari  
 jussi.